Quod felix fauſtumque Deus Ter Optimus
Maximus eſſe jubeat!

DISSERTATIONEM
De
ASYLIS,

Ex
Ampliſſimi Senatus Philoſophici permiſſu,
Publico ac placido φιλοσοφούντων
examini
Horis locòque conſuetis ad 9. Januar. diem,
anno à B. Virginis partu 1669.
ſiſtunt

M. PHILIPPUS AMANDUS
P. F. Horſt Jenâ - Thuringus.
&
Johannes Gottfriedt Legener/

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FRANCOFURTI ad ODERAM,
Literis BECMANIANIS,
M. DC. LXVIIII.

Σ. Θ.

DISSERTATIONIS

De

ASYLIS

PROOEMIUM.

NON abs re Cicero, eloquentiæ Romanæ parens, æquitatem virtutem eſſe aſſerit juſtitiæ maximè propriam. Quemadmodum enim aliæ virtutes, ita & juſtitia medium duo inter vitia obſervare amat, non obſtante, quód duo illa extrema uno injuſtitiæ nomine appellentur. Verùm enim verò ſi ulla in virtute medium inveniendi difficultas datur, datur ea in juſtitiâ. Hic enim perquàm facilè tritum illud; jus ſummum ſumma ſæpè injuria; locum invenire poteſt. Siquidem ad Judicis officium non ſufficit, ut defendat innocentem, nocentem autem puniat, ſed inſuper requiritur, ut noxium pœna nec graviori, nec mitiori affligat. Unde verò medium illud habebit? Num leges ſtrictè & ſine limitatione intellectæ id ipſi ſuppeditabunt? Minimè, cùm ſæpius talismodi obviam veniant caſus, ubi reus videtur, qui tamen nihil meruit, & contra innocens, qui maximè eſt reus. E. g. Lex eſt: Qui alterum occidit, rurſus à Magiſtratu occidatur. Mente captus enecat alterum. Quod ſi ergo Judex jus ſtrictum perſequitur, mente captus iterùm eſt interficiendus. Hoc verò modo iſte gravius, quàm par eſt, punietur, quandoquidem pœnâ ordinariâ ii tantùm, qui ex proæreſi deliquerunt, ſunt afficiendi: προαίρεσις autem

mente

mente capto adſcribi nequit, quia licet rationem habeat, ejus tamen uſu deſtituitur. Ea propter neceſſariò tali in caſu æquitas, quæ ſtricti juris eſt mitigatio, erit adhibenda. Simili ſeſe habent modo homicidia præter intentionem peracta, in quæ ne quidem extra ordinem, multò minus ordinariè licet animadvertere. Quoniam verò hæc primò intuitu ab homicidiis veris dignoſcere, multum difficultatis ac laboris habet, ideò ne Judex præcipitaretur, priſca antiquitas introduxit ASYLA, id eſt, ejusmodi loca, ad quæ talem committentes cædem confugere, & ad penitiorem usque rei conſiderationem tuti eſſe queant. Quibus de ASYLIS præſentem quoque diſſertationem placuit conſcribere, & ad ventilandum proponere. Faxit Deus, ut cedat feliciter!

§. I.

IPſam nominis quod attinet derivationem, Autores variæ ſunt ſententiæ. Becmannus enim in Orig. Lat. Ling. derivat ab Hebræo אֵשֶׁל quod nemus ſignificat, quia ſcilicet Veteres in ſylvis ac nemoribus ejusmodi aſyla inſtituerunt. Servius deducit ab *α* privativo & verbo *σύρω* traho, ut ita *ἄσυλον* ſit quaſi *ἄσυρον*, quia à tali loco nemo ſit trahendus. Alii & quidem Lexicographorum plurimi deductum volunt à *συλάω* rapio, & *α* privativo, quod nemo inde vi ſit rapiendus. Quamvis autem poſteriores duæ derivationes eodem recidant, ultima tamen nobis magis arridet, quòd in illa nulla literarum mutatione indigeamus.

§. 2. Hebræi ejusmodi locum appellant מִקְלָט quaſi retractum, quòd ſcilicet per illum locum homo retrahatur ab ordinariâ pœna. Græci vocant *ἄσυλον*; Latini *aſylum*, Galli l'aſyle. Germani eine Freyſtädte oder eine Freyheit / quanquam hoc poſterius latiùs pateat.

§. 3. Solet

§. 3. Solet autem vocabulum ASYLUM varijs ſumi mo
s. (1) Generaliſſimè & admodùm impropriè pro refugio quo-
s, quocunque etiam id veniat nomine. Sic imaginata illa
oëſis omnibus in linguis ſua habet aſyla: in Hebræa nempe
diſcriminalem obſervationem vel neglectionem τοῦ ſcheva:
Græca tantus ejusmodi aſylorum eſt cumulus, ut omni ca-
at numero: In Latina eſt τὸ RITE & USQUE, ſimilesque
pletivæ particulæ absque omni decore ac neceſſitate adhibi-
: In Germanica ſunt particulæ MAN & THUN. Similiter
Phyſicis ejusmodi aſylum eſt minus neceſſarium ad occultas
ualitates confugium. Et ſic in diſciplinis alijs; quæ tamen
yla rectius vocantur cum appoſito aſyla ignorantiæ. (2) A-
lum accipitur generaliter, pro loco quacunque gaudente im-
unitate. Hoc modo in Academiis Collegia, Dominorum
ofeſſorum aliorumque civium Academicorum ædes aſyla
udioſorum appellari queunt, quia oppidano Magiſtratui abs-
e conſenſu Magnifici Domini Rectoris eos exinde extrahe-
non eſt integrum. Ita, referente Alex. *lib.3.c.20.* Ptolomæi
gis ſtatua id juris habuit, ut ſervi ad illam confugientes ne
ſolverentur. Euphorus apud Svidam narrat, eſſe in Libya
oem, δούλων πόλιν ſervorum civitatem dictam, in quam ſi
is ſervus lapidem importaſſet, continuò liberum factum eſ-
etiamſi peregrinus fuiſſet. Apud Romanos vinctum, ſi Dialis
ninis ædes introiviſſet, ſolvi neceſſe erat, ceu teſtatur Gellius
10. cap.15. (3) Capitur ſpecialiter, pro loco aliquo, qui pro va-
ione perſonæ, delicti, certarumque aliarum circumſtanti-
m reum tantummodò contra poteſtatem judicis tueri va-
Sic dantur quibusdam in regionibus aſyla, quibus incolæ
dent; non vero peregrini. Dantur aſyla, ad quæ nominibus
ſſis ac adulteris, non autem homicidis confugere licet. De-
ue (4) ſumitur ſpecialiſſimè pro loco, qui & omnimodâ
ninem ex illo auferendi præditus eſt immunitate.

 §. 4. *Sunt*

§. 4. *Sunt verò aſyla loca privilegiata, in quibus vel divino Numine, vel hominum majeſtate ab externâ vi homines defenduntur.*

§. 5. Dicuntur *loca privilegiata* ad exprimendum genus proximum, per quod á locis communibus ſeparantur. Additur: *homines in iis defendi vel divino numine, vel hominum majeſtate.* Quæ verba non ſolùm differentiam exprimunt, ſed ſimul oſtendunt, hac ſub definitione & Eccleſiaſtica & Politica comprehendi aſyla. Nec ſine re porrò adjicitur: *ab externa vi.* Siquidem contra vim internam, conſcientiæ nempe morſus, aſylum habebis nullum.

§. 6. De prima aſylorum origine Autores variant. Quidam enim Cadmum, Thebas condentem, primum aſylorum faciunt Autorem, quippe qui dictâ in urbe aſylum aperuit, ad quod fugientes ſine diſcrimine ſervi aut liberi ab omni pœnâ tuti erant. Vid. Balth. Bonifacij hiſt. ludicram. lib. 3. cap. 43. Alii à prognatis Herculis aſylum Athenis primò inſtitutum ferunt, ad quod à patribus oppreſſis confugere fas erat. Vide Alex. *cit. loco.* Alii ipſum Herculem hujus aſyli conditorem ſtatuunt. Paulus ab Eitzen *Doctr. Eth. lib. 3. cap. 5. pag. 251.*

§. 7. Aſylorum inſtituendorum cauſæ primariæ fuère *honeſtas* & *utilitas.* *Honeſtas*, quoniam eſt humanum, miſeris & aliorum vim metuentibus locum perfugij aperire: vel quia etiam juſtum, à vi potentiorum inſontes defendere. Unde laudatur templum Dianæ Leucophryenæ, quod oppreſſis perfugium fuit inviolabile. Similiter refert Diod. *lib. 11.* templum Palicarum Dearum apud Siculos aſylum fuiſſe tutiſſimum & inviolatiſſimum, ſupplicibusque quocunque infortunio vel calamitate oppreſſis, vel ſervis, qui in dominos ingratos violabundosque inciderint, ſubſidij præbuiſſe plurimum. Henricum Imperatorem, Barbaroſſæ filium, Briſacum Auſtriæ oppidum, in pauperum refugium, velut miſericordiæ aſylum, ædifi-

dificâſſe aſſerit Otho Friſingenſis *lib.7. cap.ult.* Ejusdem quoue nobiſcum eſt ſententiæ Thomas Dempſterus *in addit. ad ntiq. Rom. Joh. Roſin. lib.1. cap 13. pag.18.* inquiens: *Prima imunitatis hujus inſtitutio fovendæ Reipublicæ utiliſſima, & à civitum conditoribus ideò introducta, ne humilioris ſortis homines potentioribus injuriam paterentur.* Conf. Pet: Greg. Thozan. de Rep. lib.13. cap.22.

§. 8. *Utilitatem* quod ſpectat, Romulus & Remus, jais urbis fundamentis, aſylum aperuerunt profugis & fugitivis ter arcem & Capitolium, loco Intermentio nominato; onesque recipiebant, neque ſervum dominis, nec creditoris nexum, nec Magiſtratibus reddebant homicidam; verùm violatum locum ex oraculo Apollinis præſtare ſe aſſerebant. urbs brevi eſt frequentata. Sicuti hæc ex Plutarcho, Livio Sabino recenſet Zvvingerus *in theat. hum. vit. vol.23. lib.2. g. 3998.*

§. 9. Loca ipſa aſylis dicata ſunt vel *ſacra*, vel *profana. cra* ſunt vel *templa*, vel *ſepulchra*. Hac de re Ludov. Dunte *Decis. caſ. Conſcien. cap.19. Sect.3. quæſt. 23. §.1.* inquit: *Loci aut ficia ſemper fuerunt, in quibus alicui tutus præbebatur rece- s, ob loci privilegium ex religione, vel aliâ cauſâ ortum, ut invi aliquem abſtrahere non licuerit ſub pœnâ capitali, & ejusmoloci aut ædificia dicuntur aſyla. Et talia loca Romæ fuerunt rima in gentiliſmo, quorum privilegia deinceps in Chriſtianon templa & monaſteria translata ſunt.* Subſequente §. de nplis in ſpecie ait: *Patres acriter hoc jus aſylorum aſſeruerunt, videre eſt apud Auguſt. epiſt. 187. ad Bonifacium, cui excomnicationem minatur Comes, qui quendam ab Eccleſia ejus abs- xiſſet, quem tamen idem Comes reſtituens teſtabatur morte iſſimum eſſe. In jure Pontificio ſic decernitur: Liber homo Eccleſiam confugiens, non eſt ab eâ ad mortem, aliamve pœ corpoream trahendus, quicunque crimen patrârit, niſi ſit*

vel

vel nocturnus agrorum depopulator, vel qui in via publica inſidias viatoribus, vel qui fiducia privilegij Eccleſiæ in cœmiterio aut templo homicidium, aut membri mutilationem patrare audet, fruſtra enim legis auxilium implorat, qui eam violat. Lege Juſtinianea etiam adulteris & virginum raptoribus denegatur jus aſyli. Hujusmodi ergo aſylum fuit Epheſium Dianæ templum, de quo Plutarch. *de non fœnerando* inquit: *Diana Epheſia debitores, qui ad templum ſuum perfugiſſent, inviolatos præſtabat, & ſecuros à creditoribus.* Romanorum enim more ut & Græcorum fuit receptiſſimum, ut confugientes in fana immunitatem impunitatemque conſequerentur, ſi aras fuiſſent amplexi. Eò tendit & Chremes apud Terent: *Heaut. act. 5. ſc. 2.*

> *Ne te admiſce, nemo accuſat Syre te, nec tu aram tibi,*
> *Neque precatorem paràris.*

Ad hunc quoque modum alluſit Maro *lib. 2. Æn.* de ara Hercæi Jovis, ad quam Priamus aliique Trojani confugerant, dum urbem Græci diriperent, ut ab injuria hoſtium tuti forent.

> *Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum*
> *præcipites atrâ ceu tempeſtate columbæ*
> *condenſæ, & divûm amplexæ ſimulacra tenebant.*

Et Euripides *in Hecuba* inquit:

> Ἀλλ' ἴθι νάοις, ἴθι πρός βώμοις·
> *Sed vade ad templa, vade ad aras.*

Chriſtianos olim non ſolùm ad altare, ſed & ad ſacroſancti baptiſterij locum ſuum ſumſiſſe refugium, teſtis eſt Evagrius *lib. 2. cap. 8.* de Proterio Alexandrinorum Epiſcopo ſcribens, ipſum, quò necem effugeret, ad Sacro Sanctiſſimum baptiſterium ſe recepiſſe. Ad templa autem ſeculis ſuperioribus etiam referebant ſpatium ad quadraginta paſſuum, ſi Eccleſia metropolitana fuerit; triginta verò, ſi eô tituló non inſignita: item Epiſcopi domum.

§. 10. *Sepul-*

§. 10. *Sepulchra* quod ſpectat, Athenienſibus Theſei ulchrum fuit aſylum. Lepidus & Marcus Antonius Triviri, cùm plus ſatis in eos, qui Julij mortis conſcij fuerant, iſſent, & totam fermè urbem interfectorum ſanguine maſſent, Julio demum Cęſari ſepulchrum conſtruxerunt in o, ubi ejus cadaver combuſtum fuerat, eosque, qui ad im confugerent, tutos & inviolatos eſſe voluerunt, ceu teur Xiphilinus *in Auguſto*. Theophilum Imperatorem perent, tantum Mariæ, filiæ defunctæ, uxori Cæſaris Alexii, oris detuliſſe, ut cadaver in arca argento obducta repoſu, & cujuscunque flagitij reis ſepulchrum ejus aſylum conerit.

§. 11. *Profana* aſyla fuère vel *nemora*, vel *Principum ua*. *Nemora*, juxta Plinium *lib. 6. cap.* 13. & Bonfin. *lib. 1.* 1. Arimphæorum & Thyſſagetarum fuerunt aſyla.

§. 12. De *Principum ſtatuis* ita ait Petrus Sarpus *de jure rum cap. 7. pag. 79. Omittendum non eſt aliud immunitaenus, iis temporibus* (locutus autem erat de aſylis Græco) *uſu receptum, quod non erat ob loci ſacri reverentiam, nec ei honorem inſtitutum; ſed juſtitiæ ratione. Etenim qui ob rſarij gratiam ſe tueri non poterat, ad Principis ſtatuam conbat, in quolibet foro poſitam, atque ita quacunque vis inferſſet, ab ea ſeſe vindicabat, publicâ autoritate tectus.* Sic ſu. 3. ex Alex. attulimus, ſervos ad Ptolomæi ſtatuam conſe. Idem ibidem refert, in Aſpendo Pamphyliæ Tiberij eratoris ſtatuæ pro aſylo fuiſſe. Quin & Jus Civ. *l. 17. ff. il.* edicto teſtatur, id juris omnibus Principum Romanoſtatuis fuiſſe conceſſum, ſive illæ in fano aut loco auguraive in triviis eſſent poſitæ.

§. 13. Atque hæc de aſylis in genere ſufficiant. Nunc orum diviſionem nos convertimus: & videntur nobis non incommodè diſpeſci poſſe in juſta & injuſta.

 §. 14. Aſyla

§. 14. Aſyla juſta ſunt, quæ innocentes ac injuſtè oppreſſos contra vim aliorum tuentur. Hujusmodi aſylum fuit templum Palicarum Dearum, ſupra §. 7. allegatum: in illo enim non ſcelerati, ſed calamitate, quæ miſeratione erat digna, oppreſſi, & ſervi ab ingratis dominis iniquè habiti defendebantur. Et de his aſylis intelligendus eſt B. Gerhardus, quando *Iſag. Loc. Theol. Loc. 27. th. 11. pag. 1478.* inquit: *Aſylorum in Republica uſum probant (1) Jus divinum Exod. 21. verſ. 13. Num. 35. verſ. 1. Deut. 19. verſ. 2. Jos. 10. verſ. 7. (2) Jus Canonicum. (3) Jus civile ſive Imperatorium. (4) Conſenſus gentium. (5) Primitivæ Eccleſiæ exemplum. (6) Publicum commodum.* Cui adſtipulatur Ludov. Dunte *d. l.* §. 3. inquiens: *Nos ſi ratio aſylorum in jure divino conſtituta obſervetur, & abuſus Papiſticus, confirmans licentiam ſcelerum, & gubernationem Reipublicæ turbans tollatur, & copia aſylorum minuatur, atque hoc privilegium ad pauca, eáque Reipublicæ commoda, loca reſtringatur, ſtatuimus, habere eam rem ſuam in Republicâ uſum.* Præbent enim hoſpitium innocentibus adverſus vim potentiorum, aut iram Judicis iniqui.

§. 15. Ad hanc aſylorum claſſem plurimi Autorum referunt templum Hieroſolymitanum, & oppida illa perfugii, quorum *Num. 35. Deut. 4. & 19. Joſ. 20.* fit mentio. Verùm minus rectè. Templum enim Hieroſolymorum immunitatis privilegio planè non gaudebat; quod exinde patet, quia non ſolùm Athalia tyrannice regnans ab illo eſt retracta & occiſa *4. Reg. 11. verſ. 15. 16. 2. Paralip. 23. verſ. 14. 15.* Sed & Joab propter altare eſt confoſſus. *3. Reg. 2. verſ. 34.* Et Salomo in conſecratione hujus templi privilegia ejus coram populo prolixâ oratione *3. Reg. 8. 2. Paralip. 6.* recenſens, ne verbulo quidem hujus immunitatis meminit. Quid quod Salvator noſter ipſe ſanctitatis hujus templi ſtudio ſingulari actione mercatores ex ipſo rejecit; prehenſiones autem reorum, quæ ibidem

fiebant,

ant,nunquam reprehendit, ſed potiùs cùm in horto oliva-
n ipſe prehenſus & colligatus eſſet, ad Judæos exprobrandi
sà dixit *Matth. 26. verſ. 55.* Quotidiè apud vos ſedebam,
cens in templo, & me non tenuiſtis. Nec Judæi Chriſtum
in templo dilapidaturi ideò ab eô culpantur, quòd templi
nunitati vim attulerint. Pariter Petrus, Johannes & Paulus
pſo templo ſunt prehenſi, & in carcerem miſſi; ſancti ta-
n iſti viri violationem templi non objecêre. Et ne verbu-
n quidem tota Scriptura ſacra de templi hujus immunitate
et. Conf. Sarp. *c. l. pag. 70. ſeqq.*

§. 16. Similiter quod oppida illa perfugij in terra
æſtina attinet, jus inſontes tuendi non tam penes locum i-
m, quàm penes Seniores illius civitatis erat. Ver-
enim textus *Joſ. 20. verſ. 2. ſeqq.* ſunt hæc: *Date inter vos op-
a confugij, de quibus per Moſen vobis dixi, ut illuc fugiat ho-
ida, qui ex improviſò & imprudens animam percutit, quò tu-
int inter vos contra ſanguinis vindicem. Et fugiens ad unam
ū urbium ſtare debet extra portam urbis, & cauſam ſuam coram
atoribus civitatis indicare, atque illi eum in civitatem ſuam
ipere, locumque ipſi dare debent, quò penes illos habitare poſſit.*
tequàm igitur homicida confugiens in privilegiatam talem
em admitteretur, neceſſe erat, ut Judicibus caſum fortui-
n extitiſſe probaret. Si verò hi factum cognoſcerent vo-
ntarium, homicida morte multabatur, nec quicquam tute-
pſi præbebat, quod per aſtutias ac dolos in urbem irrepſerit.
od ex verbis *Deut: 19. verſ. 11. ſeqq.* ſole meridiano clariùs
ulget. : *Si verò quiſquam odiò proſequitur proximum, clan-
ùm illum expectat, impetuosè in illum irruit, animamque ejus
idit, aufugiens in unam harum urbium, tunc Seniores illius ci-
atis quosdam ablegent, eumque exinde accerſitum curent, ac
im manibus vindicatoris Sanguinis tradant, ut moriatur. Ocu-
ui ipſi ne parcant, ſanguinemque innocentem ex Iſraële remo-
as, quò benè tibi ſit.*

 §. 17. Duæ

§. 17. Duæ hic, priusquâm ad alteram aſylorum nos vertimus ſpeciem, quæſtiones erunt reſolvendæ. Qvarum prior eſt: *Quænam perſonarum conditio, & quodnam delicti genus aſylo protegi, aut non protegi poſſit?* Primùm reſpondemus generaliter, nullum ex ἐκ προαιρέσεως delictum grave committentem aſylorum tutelâ frui poſſe, hoc enim modô ſacroſanctæ juſtitiæ vis inferretur. Hanc noſtram reſponſionem confirmat Juſtinianus *L. in fundo ff. de rei vendicat.* his verbis: *Neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus, ſacræ aræ proſint; ſed etiam inde extrahantur, & ſupplicium eis inferatur: Non enim templorum cautela nocentibus, ſed innoxiis datur à lege, nec erit poſſibile utrumque tueri præſidio locorum, & lædentem & læſum.* Et Tholozanus, qui quà cætera monachis haud parúm favet, ſuum hac de re nobis *loc. cit. cap. 23.* adjicit calculum. Deinde ſpecialiter quæritur *de Exulibus, utrum hoc gaudere qveant privilegio?* Petrus Sarpus *d. l. cap. 5. pag. 53.* reſpondet negativè, ex eâ ratione, quia exul eſt hoſtis Reipublicæ, & à Judicum ſententiâ damnatus. Sed videtur Sarpus loqui de eô aſylô, quod in eodem territorio, ex quo exul eſt relegatus, eſt conſtitutum. Quod ſi verò exul ad extraneum confugiat aſylum, ſitque inſuper innocens, aſylorum immunitate privari nequit. Alia quoque ex priori oritur quæſtio: *Utrum Judæus debitorum copiâ preſſus, vel aliâ de causâ Judicis pœnam metuens, ad templum Chriſtianorum fugiendo ſimulans ſe Chriſti gregi velle conjungi, in tutelam ſit recipiendus?* Sarpus hic iterùm amplectitur negativam, & rectè quidem. *Quoniam* (ut habent verba ejus cit. l. pag. 54.) *credi nequit, velle aliquem ex animo Chriſtianam fidem ſuſcipere, eumq; à delictis & facinoribus initium ducere, quæ Chriſtiana religio omninò prohibet & averſatur, fieri non poteſt, ut voluntas illa, quæ tunc ſolummodò ſeſe dat in omnium conſpectum, cùm juſtitia hominem quærit ſupplicio afficiendum, recta ſit & ſincera, ſed ficta potius*

& ſimulata

ſimulata. *Quamvis autem Deus optimus maximus aliquan-*
pravorum hominum corda divino afflatu pertingat mediis in-
eribus, id tamen rariſſimè accidit. Tholoz. d. l. §. 3. Aſylorum
ò immunitate participes tantummodò reddi debent (1) in-
centes vi oppreſſi, ad quorum claſſem pertinent exules exilij
nam non promeriti. (2) Homicidæ homicidium præter
nem læſionis intentionem committentes. (3) Mercato-
extra ſuam culpam ad inopiam redacti.

§. 18. Altera hîc enodanda difficultas eſt: *Quanam*
one reus ad templum confugiens abſtrahi ab eò poſſit? Ethni-
baris ſine piaculo neminem avelli poſſe arbitrantes, ignem
novere fuerunt ſoliti, quò rei cogerentur ſpontè inde diſce-
e. De quo elegans extat Plautinus locus in *Rudente act. 3.*
. ubi ſic Labrax:

Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere.
Poſteà Dæmones reſpondent: *Ergo dabo ignem.*
Et apud Senecam *in Herc. fur. verſ. 505.*
Congerite ſylvas, templa ſupplicibus ſuis injecta flagrent.
etiam obſtrictis valvis fame enecabant, Ælian. *lib. 9. cap. 41.*
cùm Rex Pauſanias in Minervæ templum, Spartanâ in arce
n, ſuum ſumſiſſet refugium, mater ejus ob attentatam
ditionem fame eum ibi necandum juſſit, ne vel ſcelus im-
itum eſſet, vel templum Deæ violaretur. Adeò enim
oſanctum hoc fuit aſylum, ut, unicum hunc ſi excipias ca-
, ne unquam fuerit violatum. Probus *in Pauſaniâ.* Hoc
l Gentiles uſu veniebat. Sed quæritur de Chriſtianis, *ſi re-*
l templum confugit, à quo jure abſtrahi poteſt, utrum id Ma-
tûs Politici autoritate ſit efficiendum? nec ne? Papa cum
Monachorum ac Clericorum caterva Eccleſiarum præ-
ens immunitatem negativam ſummo conatu defendet.
Tholoz. *cit. loc.* §. 4. pro templorum ac monaſteriorum
unitate defendenda ita diſſerit: *Intentio aſylorum fuit pri-*

ma, ut quibus facilè numen veriſimiliter parceret, eisdem ad eum vel ejus templa confugientibus, parcatur ab hominibus, & illi relinquantur Deo puniendi, tanquam de majori foro facti. Sicuti enim minor Judex, ſeu alii ſubordinatus non cognoſcit de his, quæ ſunt iurisdictionis ſuperioris, aut extra forum: Sic & homo non cognoſcit de his, quæ reſervata ſunt Dei judicio, quæ ei relinqui & ejus debent denominationi. Verùm nos cum Sarpo *cit. loco cap. 6. pag. 61. ſeqq.* ſequemur affirmativam. *Siquidem nemo judicare poteſt* (ſunt verba citati Autoris) *quod ſibi non eſt cognoſcendum, ſed Eccleſiaſticus ſecularium facinora uti Judex non cognoſcit, quæſtionem habere nequit, nec viſum & repertum, quod leges volunt, proficiſci. Nec Eccleſiarum immunitas violatur, ſi per vim quispiam in eâ comprehenditur, qui tamen ejusmodi defendi non poteſt immunitate. Sed nemo in atrocioribus delictis eâ paſſim uti poteſt: igitur à quocunque comprehendatur, Eccleſiarum immunitas illæſa eſt. Huc accedit, prehendendi facultatem ab iis peti debere, qui negare poſſint; ſed Eccleſiaſticus eam negare nequit, quæ à lege tribuitur, quare ab ipſo non eſt petenda.*

§. 19. Reſtat, ut de *injuſtis* dicamus *aſylis*. *Iſta* autem *ſunt, quæ peſſimis quoque hominibus in delictis graviſſimis tutelam præbent.* Ita refert Pauſan. *in Corinth.* quòd qui ſupplices ad Hebe Deæ templum in arce Phliaſiorum confugerint, cujusvis criminis impunitatem eſſe conſecutos. Theopompus *in rerum Philippicarum lib. 13.* ſcribit, juxta Thraciam eſſe urbem, πονηρόπολιν improborum civitatem dictam, in quam Philippus collegiſſe dicitur, velut in ſentinam, infames, ac moribus improbatis, ut ſycophantas, falſos teſtes, prævaricatores, & ejus generis alios ad numerum duorum millium. De Dongardo Scotorum Rege narrat Böethius *lib.* 18. loca omnia Chriſto ſacra per univerſas Scotiæ regiones aſyla effeciſſe, & ad ea confugientes, ſervos fugitivos, ſontes, quovis crimine reos, ne judicium ſubire publicâ cogerentur utilitate, dum illic ſe continerent,

ent, regiô vetuiſſe edictô. Tale quoque aſylum fuit Romu-
in quo omnes ſcelerati defenſi ſunt, ſicut eſt in diſticho:

Romulus ut Saxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

§. 20. Quamvis igitur ex ipſo horum aſylorum nomi-
, dum injuſta dicuntur, eorundemque definitione, ac
tis exemplis ſatis pateſcat, ea in Republica benè conſtituta
imè tolerari debere: tamen non fruſtraneum eſſe puta-
us, ſi præter rationes allatas afferamus etiam alias. Et qui-
n ejusmodi aſyla adverſantur (1) mandato Dei, qui *Exod.*
erſ. 14. ita ſanxit: *Si quis per induſtriam occiderit proximum*
n, etiam per inſidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.
od autem loco dicto Deus de homicidis dicit, id de quibus-
enormiter peccantibus vult intellectum. *Siquidem non*
Deus volens iniquitatem, improbus non conſiſtit coram eô, ini-
us eſt omnium malignantium Pſal. 5. verſ. 5. 6. (2) Sacroſan-
n violant juſtitiam, dum Magiſtratum officium ſuum exer-
, quod in delinquentium punitione conſiſtit, impediunt.
Debitam Magiſtratui ſubtrahunt reverentiam, dum ſub-
freti talismodi aſylis peſſima quæque in ipſum etiam Magi-
tum audent committere. (4) Omnem fidem è civili ſo-
ate adimunt, diffidentiam verò in illam ſpargunt. Quilibet
n civium ab altero metuit, ne fortè inſidias ſtruat, & ad a-
m confugiat. (5) Feneſtram ad nequitiam quamvis ape-
it. Tholoz *cit. loc.* §. *2. 3.* inquit: *Quidam ad monaſterium*
ſeunt, ut lateant potius, & effugiant vindictam criminum,
m ad veram converſionem & remedium animarum, & pæ-
ntiam redire decreverint, delinquendi animum retinentes.
nulli etiam impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem
eſiæ obtinere ſperantes, homicidia & mutilationes membro-
in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmiteriis committere non vere-
bantur,

bantur, qui niſi per Eccleſiam, ad quam confugiunt, crederent ſe defendi, nullatenus erant commiſſuri.

§. 21. Ex quibus patet, Monachos variis non modò modis eſſe iniquos, verum etiam in ipſum Deum injurios, dum ex Monaſteriis ſuis neminem delinquentē extrahi debere, animo propugnant acerrimo, atque ita ſceleſtiſſimorum hominum ſeſe præbent patronos. Rectè hac de re ait Paulus ab Eitzen *d. l. Quod ad aſyla attinet, oſtendit exemplum legis, quæ ſit in eâ causâ voluntas Dei, & bono conſilio etiam á Chriſtianis Imperatoribus, Regibus & Principibus talia privilegia certis oppidis, & locis attributa eſſe. Sed non debet accedere ille atrox abuſus, qui nunc in plerisq; locis uſitatus eſt, ut ſine diſcrimine omnes, etiam crudeliſſimi parricidæ & ſicarii in tutelam, non ſolum contra vim, ſed etiam contra jus, ſeu juſtum accuſatorem recipiantur. Ea conſuetudo non eſt ex lege Dei ſumta, in qua expreſſè dicitur Deut. 19. Quod homicida, qui per odium fuit inſidiatus vitæ proximi, etiamſi ad civitatem privilegiatam confugerit, tamen reddi à Senioribus debet, ut viciſſim moriatur.* Lud. Dunte *cit. loco* §. 45. clariùs adhuc loquitur: *Multa Papiſtica templa ſpeluncæ latronum hodiè ſunt, & qui oberati ſunt, eò confugiunt, ibiq; ſe continentes haudquaquam ſolliciti ſunt, ut ſatisfaciant creditoribus, laborem fugiunt, & ſe in hujusmodi aſylis non incommodè tractant. Non dubium quoque eſt, homines tum liberiùs peccare, ſi aſyla in promptu habuerint, ad quæ confugiant. Accedit quoque aliud malum, ut qui eò ſe receperunt opera Monachorum evadant, utq; hoc pacto gravia crimina relinquantur impunita. Hi monachi ſanè, ſi viam illis, qui adhibito judicio ſontes deprehenſi fuerunt, ad aufugiendum patefecerint, graviter puniendi. Ex quibus videre eſt, Papiſticam aſylorum conſtitutionem eſſe improbandam. Quando enim Pontificij dicunt, quicunque crimen patrârit homo liber, non poteſt abſtrahi ab aſylis ad mortem. Id pugnat directè cum Dei inſtituto, & naturali lege Deus enim*

nullam

nullam civitatem, imò ne quidem altare ſacroſanctum vult eſſe ſceleratorum refugium, ſed hoc privilegium tantùm fuit conceſſum inſontibus, ut ibi laterent ad cauſæ cognitionem. Eâ peractâ, & probatum fuiſſet, homicidium fuiſſe involuntarium, tamen manendum fuit perfugo in civitate refugii usq; ad mortem Pontificis.

§. 22. Injuſta hæc aſyla primum ſuum ortum debere videntur intempeſtivo Gentilium erga religionem Zelo. Siquidem Ethnici firmiter erant perſvaſi, Diis ſuis ſummam fieri injuriam, ſi ab illorum aris aut fanis aliquis vi abriperetur, non attendentes, utrum talis homo culpâ vacaret, nec ne à tanto ſtudio ac honore ſuos colebant Deaſtros. Hanc κακοζηλίαν confirmabat poſteà Magiſtratuum conniventia, qui largitionibus corrupti delinquentes ab ejusmodi locis avocare ſolebant. Unde Auguſtus & Tiberius Cæſares hæc videntes propter ſceleratorum impunitatem abrogaverunt aſylorum immunitatem. Sed ſatiùs feciſſent, ſi, ſervatis aſylis, abuſum abrogaſſent. Ad hanc κακοζηλίαν & δωροφαγίαν tandem ſeſe adjunxit ſuperſtitio Papiſtica, quâ Pontificij non ſolùm Eccleſiaſticos omnes, ſed & omnia templa, cœnobia & quævis res ſacræ ex Magiſtratûs Politici poteſtate & jure conantur eximere.

§. 23. Paucis ac brevibus his de aſylis poſitionibus L.B. contentus vive, benevolentiamque tuam iisdem aſylum præ-. Nos Deo agemus grates, petentes, ut cœleſti aſylo contra m ac inſidias Diaboli nos ſinat perfrui.

ADDITAMENTA.

I.

PYthagoras loco vocis σοφία vocem φιλοσοφία introducens minus rectè fecit: Intereà verò vocabulum φιλοσοφία rectè à nobis retinetur.

II. *Errant, qui Φυλοσοφία ſcribunt.*

III. *In Philologiam impingunt, qui Rhetoricam à verbo ῥέω fluo deducunt.*

IV. *Notiones ſecundæ ſunt entia realia.*

V. *Deus eſt in prædicamento.*

VI. *Modus in propoſitionibus modalibus non ad terminos, ſed ad copulam ſpectat.*

VII. *Ad concluſionem quandoque reſpondere ineptum non eſt.*

VIII. *A potentia ad actum non valet conſequentia. Valet autem ab actu ad potentiam.*

IX. *Omnis finis eſt bonum quid.*

X. *Hic canon: unius generatio eſt alterius corruptio; & contra: unius corruptio eſt alterius generatio; admodùm imbecillo ſtat talo.*

XI. *Injuriam privationi faciunt, qui eam ex principiis corporis naturalis penitus excludunt.*

XII. *Inter numerum parem & imparem non datur medius.*

XIII. *Non ſola luna patitur eclipſin.*

XIV. *Plures quàm ſeptem dantur planetæ.*

XV. *Terram eſſe immobilem, in dubium vocari poteſt.*

XVI. *Electio brutis attribui nequit.*

XVII. *Virtutem conſiſtere in medio; eandemque non conſiſtere in medio; ſibi invicem non contradicunt.*

XVIII. *Avarus prodigo eſt deterior.*

FINIS.

Rondeau.

Diß iſt die Bahn den Ehren nach zuſtreben /
Daß einer muß dem fleiſſe ſich ergeben.
Mein werther Freund / wie Er bißher gethan /
ſo fahr Er fort / dann wird zum Sternen Plan
Fraw Fama ſelbſt den ſteten Fleiß erheben.
Die Wiſſenſchafft verleyhet uns darneben
Verſicherung durch unſer gantzes Leben /
Sie zeigt / wohin man Zuflucht nehmen kan /
Diß iſt die Bahn.

Die Tugend gleicht deß Weinſtocks Edlen Reben /
an denen ſtets die Ehren-Trauben kleben.
Mein Freund / ihr ſeyd ietzunder recht daran /
fahrt alſo fort / wie Ihr gefangen an /
ſo werdet Ihr in lauter Ehre ſchweben /
Diß iſt die Bahn.

Dem Herrn Antwortendem zu Ehren
hat dieſes auß ſchuldigſter Glück-
wüntſchung beygethan

M. Philippus Amandus Horſt.

Funcken ſteigen auß der Aſchen endlich in die Flammen auff:
Sinnen / ſo nach Ehren ſtreben / hemmen niemals ihren Lauff.

Ihr /

Ihr / mein Werther / zeiget es / deſſen Fleiß bißher ge-
glümmet /
in der Aſchen / biß Er nun ſtärckre Flammen an ſich niſſet /

Sich in helle Gluth außbreittet / nach dem hohen Sternen Plan
läſſet ſteigen ſeine Flammen / und ſie wirffet Wolcken an.
Wol! mein Freund / ich wüntſche Glück / fahret / wie
Ihr angefangen /
Weiter fort / ſo werdet Ihr Ruhm und Ehre gnug erlangen.

Dieſes ſetzte glückwüntſchend deß Herrn
Reſpondentis ſchuldigſter Diener

Conradus Homburg.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE